

M. D. LXXXVIII.

Sub anni proximi exordium rursus Uscochorum pestis
 erupit; quorum sexcenti quartodecimo kal. februarii,
 intempesta nocte, navigiis longis prope Albonam delati, ex-
 scensione facta, qua tenebris, qua oppidanorum nihil hujus-
 modi suspicantium negligentia freti, spe prædæ oppidum ado-
 riuntur. Incolæ, atque Italici aliquot pedites arcis præsidia-
 rii, strepitu exciti, arma capiunt, Marinoque Molino præto-
 re incitati, prædones repellunt ac fundunt. Ii statim Flano-
 nam haud procul devecti, imparatos oscitantesque incolas
 aggressi, castellum nullo negotio occupant, diripiunt, Cæsa-
 reanorum vexilla extollunt, sacramentum ab invitis atque
 exarmatis extorquent; facinore perpetrato, abscedunt. Iis
 nuntiis allatis, civitas fremere, in vindictam exardescere:
 nihil hucusque ad pessimæ gentis reprimendam audaciam
 actum; nunc de fortunis non modo privatorum, sed de
 publica dignitate certamen esse: præstare, semel viribus au-
 ctis, subjectorum salutis, proprio decori naviter fortiterque
 consulere, quam sensim assiduis impensis ærarium exhauriri,
 classem copiasque inaniter absumi: nullius inde reprehensio-
 nem vel causæ æquitate, vel Principis debito munere subi-
 tuos. Itaque statim, Senatu convocato, Nicolao Donato,
 qui Bembo in Illyrica legatione successerat, præceptum, ut
 præter Senniam circumjectaque loca, Tergestinam quoque ci-
 vitem obsidione cingeret, maritimoque commercio penitus
 interdiceret: in terram eductis copiis, prædones insequeretur;
 loca, in quibus reciperentur, diruenda complanandaque cu-
 raret: eadem in regionum illarum incolas, quæcumque illi
 in nostros facerent, moliretur. Subinde latum, ut quatuor
 peditum in Italia millia conscribantur, ac quamprimum in
 Illyricum mittantur. Horum eventuum atque apparatus ru-
 more permotus Ferdinandus, veritusque, ne Veneti tot in-
 commodis fatigati in se tandem arma converterent, quod ex
 suis ditionibus veluti ex sentina, atrocia adeo scelera erum-
 perent, cum Italis Principibus enixe agit, ne sibi subjectos in
 Venetam militiam nomina dare sinant; eo facilius id impe-

1599

*Uscobi ab
Albona re-
jcti.*

*Flanona ab
Uscobis
capta.*

*Senatus
mandata ad
Nicolaum
Donatum,
in Illyrico
legatum.*

tra-